

**www.e-rara.ch**

## **Caii Svetonii Tranqvilli Opera Qvæ Exstant**

**Suetonius Tranquillus, Gaius**

**Basileæ, M DC LXXV**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-81639>

Nero

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



**F**X gente **DOMITIA** duæ  
 familiæ claruerunt, **CALVINORVM**  
 & **ÆNOBARBORVM**. Ænobarbi  
 auctorem originis itémque cognominis  
 habent **L. Domitium**: cui rure quondam  
 revertenti, juvenes gemini augustiore formâ ex occurſu  
 imperaſſe traduntur, nuntiare Senatui ac Populo victoriam,  
 de qua incertum adhuc erat: atque in fidem majestatis,  
 adeò permulſiſſe malas, ut è nigro rutilum æriq; aſſimilem  
 capillum redderent. Quod inſigne manſit & in poſteris  
 ejus, ac magna pars rutilâ barbâ fuerunt. Functi autem  
 conſulatibus VII. triumpho cenſurâque duplici, &  
 inter patritios allecti perfeverarunt omnes in eodem  
 cognomine. Ac ne prænomina quidem ulla, præterquàm

Cnæi & Lucii usurparunt: eaque ipsa notabili varietate, modò continuantes unumquòdque per ternas personas, modò alternantes per singulas. Nam primum secundúmque ac tertium Ænobarborum Lucius: rursus sequentes tres ex ordine Cnæos accepimus: reliquos nonnisi vicissim, tum Lucios tum Cnæos. Plures è familia cognosci referre arbitror: quò facilius appareat ita degenerasse à suorum virtutibus Neronem, ut tamen vitia cujusque quasi tradita & ingenita retulerit.

2. Ut igitur paullò altiùs repetam, atavus ejus Cn. Domitius in tribunatu Pontificibus offensior, quòd alium quàm se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum à collegiis ad Populum transtulit: ac in consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam invecus est: turbâ militum, quasi inter solennia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, *Non esse mirandum quòd aneam barbam haberet: cui esset os ferreum, cor plumbeum.* Hujus filius prætor C. Cæsarem abeuntem consulatu, quem adversus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionem senatus vocavit; mox consul imperatorem ab exercitibus Gallicis, retrahere tentavit, successorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corfinium captus est. Unde dimissus, Massilienses obsidione laborantes cum adventu suo confirmasset, repente destituit. Acieque demùm Pharsalicâ occubuit. Vir neque satis constans, & ingenio truci: in desperatione rerum, mortem timore appetitam ita expavit, ut haustum venenum poenitentiam evomuerit, medicumque manumiserit, qui id sibi

prudens ac sciens minùs noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompejo de mediis ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

3. \* Reliquit filium omnibus gentis suæ proculdubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianæ necis, quamquam insons, damnatus lege Peditâ, cum ad Cassium Brutumque se, propinquâ sibi cognatione junctos, contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit: auxit etiam: nec nisi partibus ubique præfligatis, M. Antonio sponte, & ingentis meriti loco, tradidit, solusque omnium ex iis qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit ac subinde redintegratâ dissensione civili eidem Antonio legatus, delatam sibi summam imperii ab iis quos Cleopatrarum pudebat, neque suscipere neque recusare fidenter, propter subitam valetudinem, ausus, transit ad Augustum: & in diebus paucis obiit, nonnullâ & ipse infamiâ adpersus: Nam Antonius cum desiderio amicæ Serviliæ Naidis transfugisse jactavit.

4. Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familiæ pecuniæque in testamento Augusti fuisse, mox vulgò notatum est: non minùs aurigandi arte in adolescentia clarus, quàm deinde ornamentis triumphalibus ex Germanico bello. Verùm arrogans, profusus, immitis, censorem L. Plancum viâ sibi decedere Ædilis coëgit: praturæ consulatûsque honore equites Rom matronasque ad agendum mimum produxit in scenam: venationesque & in circo & in omnibus Urbis

*Reliquit filium. Is fuit Neronis proavus cujus nummum exhibuimus. pag. 75.*

regionibus dedit. Munus etiam gladiatorium, sed tantâ sævitiâ, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum edicto coercere.

5. Ex Antoniâ majore patrem Neronis procreavit, omni parte vitæ detestabilem. Siquidem comes ad orientem C. Cæsaris juvenis, occiso liberto suo, quod potare quantum jubebatur, recusarat, dimissus è cohorte amicorum nihilo modestius vixit. Sed & in viâ Appiæ vico repente puerum citatis jumentis haud ignarus obrivit: & Romæ, medio Foro cuidam equit Rom. liberiùs jurganti oculum eruit. Perfidiaè verò tantæ, ut non modò argentarios pretiis rerum coëmptarum, sed & in prætura mercede palmarum aurigarios fraudaverit: Notatus ob hæc & sororis joco, querentibus dominis factionum, *representanda premia in posterum* sanxit. Majestatis quoque & adulteriorum, incestiq; cum sorore Lepida sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit: decessitque Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex Agrippina Germanico genita.

6. Nero natus est Antii post IX. menses quàm Tiberius excessit, XVIII. Kalend. Januariæ: tantum quod ex oriente Sole, pænè ut radiis priùs quàm terra contingeretur. De genitura ejus statim multa & formidolosa multis conjectantibus, præfagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum, negantis *quidquam ex se & Agrippina nisi detestabile & malo publico nasci potuisse*. Eiusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico exstitit: nam C. Cæsar, rogatus

rogante sorore *ut infanti quod vellet, nomen daret*, intuens Claudium patrum suum, à quo mox principe Nero adoptatus est, *ejus se dixit dare*: neque id ipse seriò, sed per jocum, & aspernante Agrippinâ, quòd tùm Claudius inter ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amisit: cujus ex parte tertiâ heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Cajum univèrsis bonis, & subinde matre etiam relegatâ, pænè inops atque egens apud amitam Lepidam nutritus est, sub duobus pædagogis, saltatore atque tonsore. Verùm Claudio Imperium adepto, non solùm paternas opes recuperavit: sed & Crispi Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. Gratiâ quidem & potentiâ revocatæ restitutæq; matris usque eò floruit, ut emanaret in vulgus, missos à Messallina uxore Claudii, qui eum meridianam quasi Britannici æmulum strangularent. Additum fabulæ est, eosdem dracone è pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, \* deprehensis in lecto ejus circum cervicalia serpentis exuviis: quas tamen aureæ armillæ ex voluntate matris inclusas dextro brachio gestavit

*Deprehensis in lecto ejus circum cervicalia serpentis exuviis.* De quo ita gloriatus est Nero, ut eundem serpentem quasi appposito nomine, verùm addito divinæ majestatis indicem portentumque sibi potentiaæ symbolo, aquilâ fulguri innixâ, Uterque penes me est.



Æ



AR



OO

aliquandiu : ac tædio tandem maternæ memoriæ abjecit :  
rursusque extremis suis rebus frustra requisivit.

7. Tener adhuc , nec dùm maturâ pueritiâ ,  
Circensibus ludis Trojam constantissimè favorabilitérq;  
ludit. Undecimo ætatis anno à Claudio adoptatus est,  
Annæoque Senecæ jam tunc senatori in disciplinam  
traditus. Ferunt Senecam proximâ nocte visum sibi per  
quietem , C. Cæsari præcipere : & fidem somnio Nero  
brevis fecit , proditâ immanitate naturæ , quibus primùm  
potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem , quòd  
se post adoptionem *ÆNOBARBVM* ex consuetudine  
salutasset , ut subditivum apud patrem arguere conatus  
est. Amitam etiam Lepidam , ream testimonio coràm  
afflixit , gratificans matri , à qua rea premebatur. Deductus  
in forum tiro , \* populo congiarium , militi donativum

*Populo congiarium.* Expressum in num-  
mis antiquis CONGIARIVM non cerni-  
tur ante Neronis tempora ; dicebaturq;  
*congiarium* quo *populus* , *donativum* quo  
*militibus donabantur* : inquit Seneca , *lib. 4.*  
*de benef.* Quod quidem expressis verbis  
Auctor noster scribit , *populo congiarium* ,  
*militi donativum proposuit.* Uberius illud  
explicat Tacitus , *lib. 23.* *Plebei congiarium*  
*quadringenti nummi viritum dati , & sester-*  
*tium quadringentes arario illatum est , ad*  
*retinendam populi fidem.* Quò refertur  
CONGIARIVM II. in nummo expres-  
sum. Promiscuè deinde cum liberalitate  
& largitione confusum est. A congio  
nomen habuit , *mensurâ rerum liquidarum* ,  
apud Quintilianum , vini præcipuè  
mellis & olei : postea & pecuniæ granòve  
continendo usui fuit. Antiquum hoc  
congiarii signum ex ære refert Gruterus  
*p. 8. 223.* apud Card. Cæsium.



proposuit: indictaque decursione Prætorianis, scutum suâ manu prætulit: exinde patri gratias in senatu egit. Apud eundem consulem pro Bononiensibus latinè, & \* pro Rhodiis atq; Iliensibus græcè verba fecit. Auspicatus est & jurisdictionem Præfectus Urbis sacro Latinarum, celeberrimis patronis, non translatitias, ut assolet, & breves, sed maximas plurimâsque postulationes certatim ingerentibus: quamvis interdictum à Claudio esset. Nec multò post duxit uxorem Octaviam: ediditque pro Claudii salute circenses & venationem.

8. Septendecim natus annos, ut de Claudio palàm factum est, inter horam sextam septimâmq; processit ad excubitores: cùm ob totius diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur: próque Palatii gradibus IMPERATOR consalutatus, lecticâ in castrâ, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus est: discessitque jam vesperi: ex immensis quibus cumulabatur honoribus, tantùm PATRIS PATRIÆ nomine recusato, propter ætatem.

*Pro Rhodiis verba fecit.* Superbum Imperator, tùm ut Sol à Rhodiis celestissimo Neronis nummum radiis & braretur. En illum pridem in *Thesaurò laureâ insignitum*, quibus tùm ut *nostro, pag. 145, vulgatum.*



Æ



9. Orfus hinc à pietatis ostentatione, Claudium apparatusissimo funere elatum laudavit, consecravitque. Memoriam Domitii patris honores maximos habuit. Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit. Primo etiam imperii die signum excubanti tribuno dedit \* *Optimam matrem*: ac deinceps ejusdem sæpè lecticam per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis è prætorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilariis, ubi & portum operis sumptuosissimi fecit.

10. Atque, ut certiores adhuc indolem ostenderet, ex Augusti præscripto imperatorem se professus, neque liberalitatis, neque clementiam, nec comitatis quidem exhibendam ullam occasionem omisit. Graviora vectigalia abolevit, aut minuit. Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit, divisis populo viritim quadringenis nummis. Senatorum nobilissimo cuique, sed à re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam quingena

*Optimam matrem.* Iis temporibus, cusi videntur hi nummi rarissimi in honorem Agrippinæ. Primus quidem Veneris triumphum exhibere videtur, *Quem vehit immanis Triton & cærulea concha, decet is ocellum Græciæ CORINTHVM,*

puellarum suarum formam opibusque nobilissimam. Alter APAMEÆ percussus est ab PHERYGIÆ COMMUNITATE. *Apamea cognomento Cibotus maximè Phrygiarum urbium inquit Strabo, lib. 12. De ea alibi diximus.*



constituit. Item prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum. Et cùm de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: *Quam vellem, inquit, nescire litteras!* Omnes ordines subinde, ac memoriter, salutavit. Agenti Senatui gratias, respondit: *Cùm meruero.* Ad campestres exercitationes suas admisit & plebem, declamavit & sæpiùs publicè: recitavit & carmina, non modò domi, sed in theatro, tantâ univerforum lætitiâ, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata.

11. Spectaculorum plurima & varia genera edidit: Juvenales, Circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. Juvenalibus senes quoque consulares, anùsque matronas recepit ad lusum. Circensibus loca equiti secreta à cæteris tribuit: commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro æternitate Imperii susceptos appellari *Maximos* voluit, ex utroque ordine & sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Notissimus eques Rom. elephanto supersedens per catadromum decucurrit. Inducta est & Afranii togata, quæ *Incendium* inscribitur: concessumque ut scenici ardentis domus supellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia. Avium cujusque generis multiplex penus, tessera frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam manuctæ feræ: novissimè naves, insulæ, agri.

12. Hos ludos spectavit è proscenii fastigio. Munere quod in Amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni spatium fabricato, dedit; neminem occidit, ne noxiorum quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ ex iisdem ordinibus, confectorésque ferarum, & ad varia arenæ ministeria. Exhibuit & naumachiam marinâ aquâ innantibus belluis, item Pyrrichas quasdam è numero epheborum, quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit. Inter Pyrricharum argumenta, taurus Pasiphaën ligneo juvencæ simulacro abditam iniit, ut multi spectantium crediderunt. Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumq; cruore resperfit. Nam perrarò præsidere, cæterùm accubans primùm parvis foraminibus, deinde toto podio ad aperto spectare consueverat. \* Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more græco triplex:

*Instituit & quinquennale certamen. In* ejus memoriam percussus est æreus nummulus ita descriptus, CERTAMEN QVINQUENNALE ROMÆ CONSTITUTUM. *Quinquennalis certaminis gymnici, præter musicum & equestre mentionem fecerat*

*Autor noster, in Aug. cap. 98. Et Tacitus, lib. 14. Annal. his verbis: Cornelio Cossio Coss. Quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem græci certaminis, variâ famâ ut cuncta ferè nova. Hujus typum facit mensa egregia, super qua urceus & corona.*



musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit  
 N E R O N I A. Dedicatisque thermis atque gymnasio  
 Senatui quóque & equiti oleum præbuit. Magistros  
 toti certamini præposuit consulares sorte, sede prætorum:  
 deinde in orchestram Senatúmque descendit, &  
 orationis quidem carminisque latini coronam, de qua  
 honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu  
 concessam sibi recepit. Citharam autem à iudicibus ad  
 se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam iussit.  
 Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthysæ  
 apparatus, barbam primam posuit, conditámque in  
 auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam  
 Jovi Capitolino consecravit. Ad athletarum spectaculum  
 invitavit & virgines Vestales: quia Olympiæ Cereris  
 sacerdotibus spectare conceditur.

13. Non immeritò inter spectacula ab eo edita, &  
 Tiridatis in Urbem introitum retulerim. Quem Armeniæ  
 Regem magnis pollicitationibus sollicitatum, cum  
 destinato per edictum die ostensurus populo propter  
 nubilum distulisset, produxit, quo opportunissimè potuit:  
 dispositis circa fori templa armatis cohortibus, curuli  
 residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa  
 militaria, atque vexilla: & primò per devexum pulpitem  
 subeuntem admisit ad genua, allevatúmque dextrâ  
 exosculatus est: dein precanti, tiarâ deductâ, diadema  
 imposuit, verba supplicis interpretata prætorio viro  
 multitudini pronuntiante. Perductum deinde in  
 theatrum, ac rursus supplicantem, juxta se latere dextro  
 collocavit. Ob quæ *Imperator* consalutatus, laureâ in

capitolium lata, \* Janum geminum clausit tam nullo  
quàm residuo bello.

14. Consulatus quatuor gessit : primum  
bimestrem, secundum & novissimum semestres, tertium  
quadrimestrem : medios duos continuavit, reliquos  
inter annua spatia variavit.

15. In jurisdictione postulatoribus nisi sequenti  
die, ac per libellos, non temerè respondit. In cognoscendo  
morem eum tenuit, ut continuis actionibus omissis,  
figillatim quæque per vices ageret. Quoties autem ad  
consultandum secederet, neque in commune quidquam,  
neque propalàm deliberabat : sed & conscriptas ab  
unoquòque sententias tacitus ac secretò legens, quid ipsi  
libuisset, perinde atque pluribus idem videretur,  
pronuntiabat. In curiam libertinorum filios diu non  
admisit, admissisque à prioribus principibus honores  
denegavit. Candidatos qui supra numerum essent, in

*Janum geminum clausit.* Ejus templi  
sive aditus figuram, non enim ex reli-  
quiis constat, quid fuerit, Numismata  
servant antiqua, aurea & ærea omnis  
magnitudinis, quæ Musæum nostrum

decorant. Ecce majoris unum, quem  
habeo integerrimum. De Jani templo  
fusè scripsimus, pag. 113. de nummis  
ex ære med. Ubi, quoties & à quibus  
fuerit clausum, exposuimus.



solatium dilationis ac moræ, legionibus præposuit, Consulatum in senos plerúmque; menses dedit, defunctóque; circa Kal. Januarias altero è C o s s. neminem substituit: improbens exemplum vetus Caninii Rebili, uno die consulis. Triumphalia ornamenta, etiam quæstorix dignitatis, & nonnullis ex equestri ordine tribuit: nec utique de causa militari. De quibusdam rebus rationes ad senatum missas, præterito quæstoris officio, per C o s s. plerúmque recitabat.

16. Formam ædificiorum Urbis novam excogitavit: & ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur: easque sumptu suo exstruxit. Destinarat etiam Ostia tenus moenia promoveri, atque inde fossa mare veteri Urbi inducere. Multa sub eo & animadversa severè, & coercita, nec minus instituta: adhibitus sumptibus modus: publicæ cœnæ ad sportulas redactæ: interdictum ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, cum antea nullum non opsonii genus proponeretur: afflictis suppliciis \* CHRISTIANI, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ: vetiti quadrigariorum lusus, quibus in veteratâ licentiâ passim vagantibus, fallere ac furari per jocum jus erat: pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatæ.

*CHRISTIANI* genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ. Impietati id tribuas aut populorum cœcitati qui Lumen de Lumine non cognoverunt, rectè conjeceris verba Suetonii pro more illorum temporum. Potest ille probari hæc inscriptione à Grutero, pag. 238. vulgatâ.

NERONI CL. CÆS.  
AVG. PONT. MAX.  
OB PROVINC. LATRONIB.  
ET HIS QUI NOVAM  
GENERI HVM. SUPER  
STITION. INCVLGAB.  
PVRGATAM.

17. Adversus falsarios tunc primùm repertum ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obfignarentur. Cautum ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modò nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Item ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem, pro subselliis nullam omninò darent, præbente ærario gratuita: utque rerum actu ab ærario causæ ad forum, ac recuperatores transferrentur: & ut omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent.

18. Augendi, propagandiq; Imperii neque voluntate ullâ neque spe motus umquàm, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit: nec nisi verecundiâ, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit \* Ponti modò

Ponti regnum concedente Polemone. Binos habemus nummos Polemonis Ponti regis, illius cujus Autor noster verba facit, patrem. Is enim quòd à M. Antonii partibus steterat, minore Armeniâ donatus est, ut recenset Dio, lib. 49. an. V. C. DCCXXI. Superato Antonio, POLEMO rex Ponti in socios ac sæderatos P. R. adscriptus est, ac prima subsellia in theatris per totum ejus regnum Senatoribus concessa, Dio, lib. 54. Eidem & Bospori regnum ab Agrippa traditum esse ob rem benè gestam an. V. C. DCCXL. subjungit idem Dio, lib. 59. Cujus filio paternum imperium ex S. C. Cajus tradidit, καὶ ΠΟΛΕΜΩΝΙ τῷ τῆς

ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ἡμὲν τῶν πατρῶων ἀρχῶν, ἡγεμονίας δὲ τῆς βελῆς, ἐχειρίστω. an. V. C. DCCXXI. Ei à Claudio pro Bospori regno Mithridati tradito, partim Cilicia oblatam, an. V. C. DCCXCIV. scribit Dio, Hunc opinor Ponti regnum Neroni concessisse. Utrumque nummum mirè illustrat hicce Strabonis locus, lib. 12. Zenonis rhetoris filius POLEMO qui ob res præclarè gestas regno donatus est, primùm ab ANTONIO, deinde à CÆSARE AVGVSTO. His conveniunt characteres ΕΤΟΥΣ ΚΓ. annum imp. Augusti XXIII. indicantes, quo jam Polemo rex erat assertus scilicet an. V. C. DCCXXX.



AR



AR



regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit.

19. Peregrinationes duas omninò suscepit, Alexandriam & Achajam : sed Alexandrinâ, ipso profectiois die, destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis cum in æde Vestæ refedisset, consurgenti ei primùm lacinia obhæsit: deinde tanta oborta caligo est, ut despiciere non posset. \* In Achaja isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit. Parabat & ad Caspias portas expeditionem, conscriptâ ex Italicis senum pedum

*In Achaia isthmum perfodere aggressus.* Quibus temporibus verisimile est hos nummos culos fuisse, quorum tres priores restauratâ ab integrioribus inscriptione mutila, vulgavimus inter æreos nostros mediocres, pag. 116. Quar-

tum cudit Colonia Augusta Aroe PATRENSIS, in qua LEGIO XXII. commemorabitur: servat etiamnum nomen, *Parras* enim vulgò dicitur, memorabili Turcarum clade Venerorûmque fortitudine & victoria celebris,



cironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat. Hæc partim nullâ reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna in unum contuli: ut fecernerem à probris ac seleribus ejus, de quibus dehinc dicam.

20. Inter cæteras disciplinas pueritiæ tempore imbutus & musicâ, statim ut Imperium adeptus est, Terpnum citharædum vigentem tunc præter alios, accersit: diebûsque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari exerceri que cœpit: nec eorum quidquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causâ vel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere: & clystere vomitûque purgari: & abstinere pomis cibisque officientibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis, & fuscæ) prodire in scœnam concupivit: subinde inter familiares græcum proverbium jactans, *occulta musica, nullum esse respectum*. Et prodiit Neapoli primùm: ac ne concusso quidem repente motu terræ theatro, ante cantare destitit quam inchoatum abolveret \* *νόμον*. Ibidem sæpiùs & per complures cantavit dies: sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti à balneis in theatrum transit, mediâq; in orchestrâ frequente populo epulatus, *si paullum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturum* græco sermone promisit. Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo com meatu Neapolim confluerant, plures Alexandria

*Legem.*

evocavit. Neque eò segniùs adolescentulos equestri  
ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ  
juventutis undique elegit, qui divisi in factiones,  
plausuum genera condiscerent, (*bombos, & imbrices, &  
testas* vocabant) operamque navarent cantanti sibi,  
insignes pinguissimâ comâ, & excellentissimo cultu pueri,  
nec sine annulo lævis: quorum duces quadragena millia  
H-S. merebant.

21. Cùm magni æstimaret cantare, etiam Romæ  
Neroneum agona ante præstitutam diem revocavit.  
Flagitantibusque cunctis *cælestem vocem*, respondit  
quidem, *in hortis se copiam volentibus facturum*: sed  
adjuvante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc  
excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens: ac sine  
morâ nomen suum in albo profitentium citharædorum  
jussit adscribi: forticulæque in urnam cum cæteris demissâ  
intravit ordine suo, simulque Præfecti prætorii citharam  
sustinentes, post Tribuni militum, juxtaque amicorum  
intimi. Utque constitit peracto principio, *Nioben* se  
cantaturum per Cluvium Rufum consularem  
pronuntiavit, & in horam ferè decimam perleveravit:  
coronamque eam, & reliquam certaminis partem in  
annum sequentem distulit, ut sæpiùs canendi occasio  
esset. Quòd cùm tardum videretur, non cessavit identidem  
se publicare. Non dubitavit etiam privatis spectaculis  
operam inter scenicos dare, quodam prætorum H-S. decies  
offerente. Tragœdias quoque cantavit personatus:  
Heroum Deorumque, item Heroidum ac Dearum.

personis efflictis ad similitudinem oris sui, & foeminæ, prout quamq; diligeret. Inter cætera cantavit *Canacem parturientem*, *Orestem matricidam*, *Oedipodem excacatum*, *Herculem insanum*. In quâ fabulâ fama est tirunculum militem positum ad custodiam aditus, cum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratiâ.

22. Equorum studio vel præcipuè ab ineunte ætate flagravit, plurimûsque illi sermo, quamquam vetaretur, de circensibus erat: & quondam Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens objurgante magistro, de Hectore se loqui ementitus est. Sed cum inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses commeabat secessu, primo clàm, deinde propalàm: ut nemini dubium esset eo die utique affuturum. Neque dissimulabat velle se palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis messibus in serum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus nisi ad totius diei cursum, greges ducere. Mox & ipse aurigare, atq; etiam spectari læpius voluit: positóque in hortis inter servitia & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in Circo maximo præbuit, aliquò liberto mittente mappam, unde magistratus solent. Nec contentus harum artium experimenta Romæ dedisse, Achajam, ut diximus, petit, hinc maximè motus: Instituerant civitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharædorum coronas ad ipsum mittere. Eas ad eò gratè recipiebat, ut Legatos, qui pertulissent, non modò primos admitteret,

sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super cœnam, exceptusque effusiùs, *solos scire audire Græcos, solóque se & studiis suis dignos* ait. Nec profectioe dilatâ, ut primùm Cassiopen trajecit, statim ad aram Jovis Cassii cantare auspicatus est.

23. Certamina deinceps obiit omnia. Nam & quæ diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, jussit. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit. Ac, ne quid circa hæc occupatum avocaret detineretve, cùm præsentia ejus urbicas res egere à liberto Helio admoneretur, rescripsit his verbis: *Quamvis nunc tuum consilium sit & votum, celeriter reverti me: tamen suadere & optare potiùs debes ut Nerone dignus revertar.* Cantante eo, ne necessaria quidem causâ excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in spectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi laudandique clausis oppidorum portis, aut furtim desiluisse de muro, aut morte simulatâ funere elati. Quam autem trepidè anxieque certaverit, quantâ adversariorum æmulatione, quo metu judicium, vix credi potest. Adversarios quasi plenè conditionis ejusdem, observare, captare, infamare secretò, nonnunquàm ex occurso maledictis incessere: ac si qui arte præcellerent, corrumpere etiam solebat. Judices autem priùs quam inciperet, reverentissimè alloquebatur, *omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortuna: illos, ut sapientes & doctos viros fortuita debere excludere:*

atque ut auderet hortantibus, æquiore animo recedebat: ac ne sic quidem sine sollicitudine taciturnitatem pudorémque quorundam pro tristitia ac malignitate arguens, suspectósque sibi dicens.

24. In certando verò ita legi obediebat, ut numquam excreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in quodam tragico actu cùm elapsum baculum citò resumisset, pavidus & metuens, ne ob delictum certamine submoveretur, non aliter confirmatus est quàm adjurante hypocritâ non animadversum id inter exultationes succlamationésque populi. Victorem autem se ipse pronuntiabat. Quâ de causâ & præconio ubique contendit. Ac ne cujus alterius hieronicarum memoria, aut vestigium exstaret usquam, subverti & unco trahi, abjicique in latrinas omnium statuas & imagines imperavit. \* Aurigavit quoque plurifariàm, Olympiis vero etiam decemjugem: quamvis idipsum in rege Mithridate, carmine quodam suo

*Aurigavit quoque plurifariàm. Hinc arbitror nummos signatos præcipuè quos Contourniatos, ab includente circulo vocant, quibus vesanus ille Imperator* quadrigam regit. Illustrantur hisce cap. 53. verbis: *Destinaverat etiam qui Apollinem cantu, Solem aurigando equitare existimaretur, imitari & Herculis facta.*



reprehendisset.

reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit ante decursum: nec eò seciùs coronatus est. Decedens deinde, \* provinciam universam libertate donavit: simulque iudices civitate Romanâ, & pecuniâ grandi. Quæ beneficia è medio stadio Isthmiorum die suâ ipse voce pronuntiavit.

25. Reversus è Græcia Neapolim, quod in ea primùm artem protulerat, albis equis introiit, disjectâ parte muri, ut mos hieronicarum est. Simili modò Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru quo Augustus olim triumphaverat, & in veste purpureâ, distinctâque stellis aureis chlamyde, coronâque capite gerens. Olympiacam, dextrâ manu Pythiam, præeunte pompâ cæterarum cum titulis, *ubi, & quos, quo cantionum, quòve fabularum argumento vicisset*: sequentibus currum ovantium ritu plausoribus. *Augustianos militesque se*

*Provinciam universam libertate donavit.* In cuiusquidem beneficii gratam recordationem cusi videntur hi duo nummi. Alludit quidem alterius epigraphæ ad Solis *in Iberop* in Obelisco max imo scri-

ptum, quem Constantinus M. transferri Romam iussit: inscribitur ille *Conditor universi* ΚΤΙΣΤΗΣ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, de quo Amm. Marcel. *lib. 17.* Alter raritate & elegantia insignis est.



*triumphi ejus* clamitantibus. Dehinc diruto Circi maximi arcu, per Velabrum, Forúmque, Palatium & Apollinem petiit. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aves, ac lemnisci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos posuit. Item \* statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percussit. Ac post hæc tantùm abfuit à remittendo laxandóque studio: ut conservandæ vocis gratiâ, neque milites umquam, nisi absens, aut alio verba pronuntiante, appellaret: neque quidquam seriò jocóve egerit, nisi adstante phonsco, qui moneret, parceret arteriis, ac sudarium ad os applicaret: multisque vel amicitiam suam obtulerit, vel similitatem indixerit, prout quisque se magis parciúsque laudasset.

26. Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem sensim quidem primò & occultè, velut

*Statuas suas citharœdico habitu, qua nota etiam nummum percussit. Suetonii solertiam manifestam facit nummorum copia id ipsum designantium. Suppetunt istius argumenti ex auro, argento, & ære, cujus rei mentionem fecimus inter æreos mediocres, pag. 118. De illo habitu sic Apulejus, lib. 2. Florid. & Cornificius lib. 4. ad Herennium: Uti citharœdus cum prodierit optimè vestitus, pallâ*

*inauratâ indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intertextâ & cum coronâ aureâ magnis fulgentibusque gemmis ornata? Certè illum gestabat Nero ad imitationem Apollinis qui (ut ait Propertius) in longa carmina veste sonat. Docet Autor noster, cap. 12. Citharam à judicibus ad se delatam adorasse, ferriq; ad Augusti statuam jussisse. Hanc videtur manibus gestare in hisce nummis.*



juvenili errore, exercuit: sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia non ætatis esse. Post crepusculum statim arrepto pileo vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes à cœnâ verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisq; demergere assueverat: tabernulas etiam effringere & expilare: quintanâ domi constitutâ, ubi partæ & ad licitationem dividendæ prædæ pretium assumeretur. Ac sæpè in ejusmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, à quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus. Quare nunquam postea se publico illud horæ sine Tribunis commisit, procul & occultè subsequens. Interdiu quoque clam gestatoriâ sellâ delatus in theatrum, seditionibus pantomimorum ex parte proscenii superiori, signifer simul ac spectator aderat. Et cum ad manus ventum esset, lapidibusque & subselliorum fragminibus decerneretur, multa & ipse jecit in populum, atque etiam Prætoris caput consauciavit.

27. Paullatim verò invalescentibus vitiis, jocularia & latebras omisit, nullaque dissimulandi curâ ad majora palàm erupit. Epulas à medio die ad mediam noctem protrahabat: reforus sæpiùs calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis. Coenitabátque nonnunquam & in publico, Naumachiâ præclusâ, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius Urbis ambubajarumque ministeria. Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Bajanum sinum præternavigaret, dispositæ per litora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur: insignes

ganæ & matronarum institorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium ut appelleret. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mitellita quadragies H-S. constitit, alteri pluris aliquantò absortio rosaria.

28. Super ingenuorum pedagogia, & nuptiarum concubinatus, Vestali virgini Rubriæ vim intulit. Acten libertam paullum abfuit quin iusto matrimonio sibi conjungeret: submissis Consularibus viris qui regio genere ortam pejerarent. Puerum Sporum, exsectis testibus, in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote & flameo per solenne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro uxore habuit. Exstatque cujusdam non inscitus jocus, *Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem.* Hunc Sporum Augustarum ornamentis excultum lecticâque vectum, & circa conventus mercatusque Graciæ, ac mox Romæ circa Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam matris concubitus appetisse, & ab obtrectatoribus ejus, ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ prævaleret, deterritum nemo dubitavit: utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lecticâ cum matre veheretur, libidinatum incestè, ac maculis vestis proditum affirmant.

29. Suam quidem pudicitiam usque adeò prostituit, ut contaminatis penè omnibus membris, novissimè quasi genus luxus excogitaret: quatenus feræ pelle contactus emitteretur è cavea, virorumque ac foeminarum ad stipitem deligatorum inguina invaderet: & cum

affatim desæviffet, conficeretur à Doryphoro liberto: cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupfit; voces quoq; & ejulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut ullâ corporis parte purum esse: verùm pleròsque dissimulare vitium, & calliditate obtegere: ideòq; professis apud se obscœnitatem cætera quoque concessisse delicta.

30. Divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat quàm profusionem: sordidos ac deparcos esse quibus ratio impensarum constaret: prælautos verèque magnificos qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabatúrque avunculum Cajum, nullo magis nomine quàm quòd ingentes à Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. In Tiridatem quod vix credibile videatur, octingena nummùm millia diurna erogavit, abeuntique super H.S. millies contulit. Menecratem citharœdum & Spicillum mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis edibúsq; donavit. Cercopithecum Panerotem foeneratorem, & urbanis rusticisque prædiis locupletatum, propè regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctum H.S. aleam ludit. Piscatus est rete aurato, purpurâ, coceòq; funibus nexis. Numquam carucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillatâ & phaleratâ cum Mazacum turbâ, atque cursorum.

31. Non in alia re damnosior quàm in ædificando. Domum à Palatio Esquillas usque fecit. Quam primò

*Transitoriam*, mox incendio absumptam, restitutamque, *Auream* nominavit. De cujus spatio atque cultu suffecerit, hoc retulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis atque vinetis & pascuis, silvisque, variâ cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balinæ marinis & Albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret, hætenus comprobavit, ut se diceret *quasi hominem tandem habitare cœpisse*. Præterea inchoabat piscinam à Mileno ad Avernum lacum, contactam, porticibus conclusam, quò quidquid totis Bais calidarum esset converteretur. Fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus nec tamen mari iretur, longitudinis per centum sexaginta millia: latitudinis, quâ contrariæ quinquereemes commearent. Quorum operum perficiendorum gratiâ, quòd ubique esset custodiæ in Italiam deportari, etiam scelere convictos, non nisi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam imperii, etiam spe quadam repentinâ immensarum & reconditarum opum impulsus est: ex indicio equitis Romani pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ,

quos \* Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvulâ molientium operâ.

32. Verum ut spes fefellit, destitutus, atque ita jam exhaustus & egens, ut stipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi ac differri necesse esset, calumniis rapinisque intendit animum. Ante omnia instituit, ut è libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogereur ei, si qui sine probabili causâ eo nomine essent quo fuissent illæ familiæ quas ipse contingeret: deinde ut ingratorum in principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset studiosis juris qui scripsissent vel dictassent ea: tum ut lege majestatis, facta dictaque omnia, quibus modò

*Dido Regina.* Carthaginis almæ fundatrix, ob idque inter Heroïdas numerata. Famam ipsi maximam conciliavit Poëtarum latinorum Princeps, *Aeneid. lib. 4.* quo infano Æneæ amore detentam, ubi Æneam Italiam classe petere comperisset, mortem sibi conscivisse, mirabili quadam suavitate canit. Cave tamen, tanto vati credas, lacry-

mâsque ob hanc necem fundas, cum Carthago nonnisi septuagesimo post Romam conditam anno extructa sit; Æneâsque trecentis prius annis Albæ regnavetit. Cave iterum ne Didonis, qui circumfertur nummum pro antiquo habeas: figmentum est eruditi sculptoris Itali, satis ex inscriptione manifestum.



Æ



delator non deesset, teneretur. Revocavit & præmia coronarum, quæ umquam sibi in certaminibus civitates detulissent. Et cum interdixisset usum amethystini ac Tyrii coloris, submisissetq; qui nundinarum die pauculas uncias venderet: præclusit cunctos negotiatores. Quin etiam inter canendum animadversam matronam è spectaculis, vetitâ purpurâ cultam, demonstrasse procuratoribus suis creditur: detractamque illicò, non veste modò sed & bonis exiit. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret: *scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Ultimò, templis compluribus dona detraxit, simulacrâque ex auro vel argento fabricata conflavit: in his Penatium deorum, quæ mox Galba restituit.

33. Parricidia & cædes à Claudio exorsus est: cujus necis, etsi non auctor, at conscius fuit: neq; dissimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quasi *deorum cibum*, posthac proverbio præco collaudare fit solitus. Certè omnibus rerum verborumq; contumeliis mortuum insectatus est, modò stultitiæ, modò sævitæ arguens. Nam & morari eum inter homines desiisse, productâ primâ syllabâ jocabatur: multaq; secreta & constituta, ut insipientis atque deliri, pro in... habuit. Denique bustum ejus conspici, nisi humili levique materiâ, neglexit. Britannicum, non minùs æmulatione vocis, quæ illi jucundior suppetebat, quàm metu, ne quandòque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est. Quod acceptum à  
quadam

Locusta, venenariorum indice, cum opinione tardiùs cederet, ventre modò Britannici moto: accersitam mulierem suâ manu verberavit, arguens *pro veneno remedium dedisse*. Excusantique minus datum ad occultandam facinoris invidiam: *Sanè, inquit, legem Juliam timeo*: coëgitque se coram in cubiculo, quàm posset velocissimum ac præsentaneum coquere. Deinde in hædo expertus, postquam is quinque horas protraxit: iterùm ac sæpiùs recoctum, porcello objecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti secum Britannico imperavit. Et cum ille ad primum gustum concidisset, comitali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres translatio extulit funere. Locustæ pro navatâ operâ, impunitatem prædiâque ampla, sed & discipulos dedit.

34. Matrem, dicta factâque sua exquirentem acerbiùs & corrigentem, hætenus primò gravabatur, ut invidiâ identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rhodùmque abiturus: mox & honore omni & potestate privavit; abductâque militum & Germanorum statione, contubernio quoque ac palatio expulit. Neque in divexanda quidquam pensi habuit: submissis & qui Romæ morantem, litibus, & in secessu quiescentem, per convitia & jocos, terra marique prætervehentes inquietarent. Verùm minis ejus ac violentiâ territus perdere statuit. Et cum veneno ter tentasset, sentirétque antidotis præmunitam: lacunaria, quæ noctu super

dormientem laxatâ machinâ deciderent, paravit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem navem, cujus vel naufragio vel cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulatâ, jucundissimis litteris Bajas evocavit ad solennia Quinquatrium simul celebranda: datóque negotio trierarchis, qui Liburnicam, quâ advecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium. Repetentique Baulos, in locum corrupti navigii, machinosum illud obtulit, hilare profecutus: atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, cœptorum opperiens exitum. Sed ut diversa omnia, nandóq; evasisse eam comperit, in ops consilii, L. Agernium, libertum ejus, salvam & incolumem cum gaudio nuntiantem, objecto clam juxta pugione, ut percussorem sibi subornatum arripi constringique jussit, matrémque occidi: quasi deprehensum crimen voluntariâ morte vitasset. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoris, ad visendum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim obortâ, bibisse. Neque tamen sceleris conscientiam, quamquam & militum & Senatus Populiq; gratulationib. confirmaretur, aut statim aut umquam postea ferre potuit: sæpè confessus exagitari se maternâ specie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & factó per magos sacro, evocare Manes, & exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ, Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis submoverentur, interesse non ausus est. Junxitque

parricidio matris amitæ necem. Quam cum ex duritia alvi cubantem visitaret: & illa tractans lanuginem ejus, ut assolet, jam grandis natu, per blanditias fortè dixisset, *simul hanc excepero, mori volo*: conversus ad proximos, confestim *se positurum* velut irridens ait: præcepitque medicis ut largiùs purgarent ægram. Nam nec dum defunctæ bona invasit, suppresso testamento, ne quid abscederet.

35. Uxores præter \* Octaviam duas postea duxit, Poppæam Sabinam, quæstorio patre natam, & equiti Romano ante nuptam: deinde \* Statiliam Messalinam

*Uxorem Octaviam.* Hæc erat Claudii Messallinæque filiæ, ut eventus docuit, *infelicissima.* Superbum ejus nummum explicavimus inter æreos mediocres, *pag. 114.* quo Nero se Solem Octavia Lunam indigitant: Quasi parum illis fuisset primos esse inter homines, nisi se cœlestes cœteris significarent.



*Statiliam Messalinam.* Duplicem habemus in nummis Messalinam; Valeriam unam Claudii uxorem, cujus nummos ex ære mediocris vulgavimus, *pag. 106.* alteram Statiliam dicunt in hoc nummo

signatam, quod mihi optarem uberiùs probatum. Conjecturas nostras commodiori loco exponemus. Eodem spectat quod docet de hæc Messalina Autor noster *in Othone, cap. 10.*



Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem. Quâ ut potiretur, virum ejus Atticum Vestinum Cos. in honore ipso trucidavit. Octaviæ consuetudinem citò aspernatus, corripientibus amicis, *sufficere illi debere* respondit *uxoria ornamenta*. Eandem mox sæpè frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem: sed improbante divortium populo, nec parcente convitiis, etiam relegavit. Deniq; occidit sub crimine adulteriorum, adeò impudenti falsòque, ut in quæstione pernegantibus cunctis, Anicetum pædagogum suum indicem subjecerit, qui dolo stupratam à se fateretur. \* Poppæam duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, dilexit unicè. Et tamen ipsam quoque ictu calcis occidit: quòd se ex aurigatione ferò reversum, gravida & ægra convitiis incesserat. Ex hac filiam tulit

*Poppæam Sabinam.* Quatuor ejus nummos ex ære vulgavimus, pag. 123. quibus & alios, datâ occasione, superaddemus. In eorum antecessum unum hic habebis à Perinthiis ut arbitror cufum, fœcunditatem ejus optantibus flore spicisque designatam. Poppæam valdè laudat Josephus *piamque* nominat quòd fortè pro sacerdotibus Judæis absolutionem

impetraverit, multâque munera ipse reportaverit. Ejus hæc sunt verba, *Antiq. Judaic. lib. 20. c. 7.* Τῆ γυναικὶ ΠΟΠΠΑΙΑ, θεοσιδωραγῆ λίβ, ὑπὸς τῶν Ἰουδαίων χειρισμένη. Hinc Josephi erga Neronem Poppæamq; propensio, quam *de vita sua* manifestam exhibuit. Tacit. *lib. 13. Annal.* aliter de illa scribit; ejus sunt hæc verba: *Huic mulieri cuncta alia suère præter honestam animum.*



\* Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. Nullum adeò necessitudinis genus est quod non scelere perculerit. Antoniam Claudii filiam recusantem post Poppææ mortem nuptias suas, quasi molitricem novarum rerum, interemit. Similiter interemit ceteros, aut affinitate aliquâ sibi aut propinquitate conjunctos. In quibus Aulum Plantium juvenem: quem cum ante mortem per vim constuprasset: *Eat nunc, inquit, mater mea, & successorem meum osculetur*: jactans dilectum ab ea, & ad spem imperii impulsus. Privignum Rufinum Crispinum, Poppæâ natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit. Tuscum nutricis filium relegavit, quòd in procuratione Ægypti, balneis in adventum suum exstructis lavisset. Senecam

Claudiam Augustam. Ferrarum hujus Claudiae nummulum repperi, in quo Fortunæ habitu se populis adorandam præbet. Duplicem hujus typi rationem esse opinor. Ea ut Fortuna Romana à vesano patre censebatur; deinde in Antio coloniâ nata erat, sic scribente Tacito, lib. 15. *Annal.* cujus numen solemne, Fortuna. Pars aversa templum exhibet POPPÆÆ dicatum. Illi quidem erectum fuisse in insula Lesbo narrat Dio, in fragmento his verbis: καὶ τὸ τὰς

Σελίνας ἡρώων ἐν τῷ ἰσθμῷ, καὶ, ὅτι Σελίνα αὐτὸ θεῖα Ἀποδότην αἰ γυναικῶν. Hoc est: Templum POPPÆÆ SABINÆ absolutum multisq; donariis ornatum dedicavit, & templo hac inscripsit, SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ POSVERVNT. Inscriptio porò latina aliud quàm Lesbianum indicat, quare & alibi exstructum etiam fuisse certum est. Decretum inquit Tacit. l. 15. ut Fortunarum effigies aureæ in solio Capitolino Jovis collocarentur, & paulo post, honorem Divæ & pulvinar ad eamq; sacerdotem.



præceptorem ad necem compulit : quamvis sæpè com meatum petenti, bonisque cedenti, persanctè jurasset suspectum se frustra, periturumq; potiùs quàm nociturum ei. Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos divites & senes, olim adoptionis, mox dominationis suæ fautores, atque rectores, veneno partim cibus, partim potionibus indito, interceptit.

36. Nec minore sævitiâ foris & in externos grassatus est. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius eâ re, ut ex Babilo astrologo didicit, solere Reges talia ostenta cæde aliquâ illustri expiare atq; à semet in capita procerum depellere: nobilissimo cuique exitium destinavit Enimverò multò magis & quasi per justam causam duabus conjurationibus promulgatis: quarum prior majorque Pisoniana, Romæ: posterior, Viniciana, Beneventi conflata atque detecta est. Conjurati è vinculis triplicium catenarum dixere causam: cum quidam crimen ultrò faterentur, nonnulli etiam imputarent, tamquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi Urbe pulsi, enectique veneno aut fame. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

37. Nullus posthac adhibitus delectus aut modus interimendi quocumque libuisset, quacumque de causâ. Sed ne de pluribus referam, Salvidieno Orfito objectum est, quòd tabernas tres de domo sua circa forum civitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino

jurisconsulto, ac luminibus orbatò, quòd in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines restituisset: Pæto Thraseæ, tristior & pædagogi vultus. Mori iussis non ampliùs quàm horarium spatium dabat. Ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, *qui cunctantes continuò curarent.* Ita enim vocabat, venas mortis gratiâ incidere. Creditur etiam polyphago cuidam Ægyptii generis, crudam carnem & quidquid daretur mandere assueto, concupisse vivos homines laniandòs absumentòsque objicere. Elatus inflatùsque tantis velut successibus, negavit *quemquam principum scisse quid sibi liceret.* Multàsque nec dubias significaciones sæpe jecit, ne reliquis quidem se parsurum Senatoribus: eùmque ordinem sublaturum quandòque è Reipublica ac provincias & exercitus equiti Rom. ac libertis permissurum. Certè neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem. Et in auspiciando opere Isthmi, magnà frequentiâ clarè, *Ut sibi ac Populo Rom. benè res verteret,* optavit: dissimulatâ Senatus mentione.

38. Sed nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi.

\* Εμὲ θανάτου χάριν μισήσω ποιεῖ.

*immò,* inquit, *ἐμὲ θανάτου χάριν.* Planèque ita fecit: nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum, incendit Urbem tam palàm, ut plerique consulares, cubicularios ejus, cum stupa tædâque, in prædiis suis deprehensos non attigerint: & quædam

*Me mortuo terra misceatur igni.*

horrea circa domum Auream, quorum spatium maximè desiderabat, ut bellicis machinis labefactata, atque inflammata sint, quòd saxeo muro constructa erant. Per sex dies, septémque noctes eâ clade sævitum est, ad monumentorum bustorúmque diversoriâ plebe compulsâ. Tunc præter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt hostilibus adhuc spoliis adornatæ, deorúmque ædes ab regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæq;: & quidquid visendum atq; memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium è turri Mæcenatianâ prospectans, lætusque *flamma*, ut agebat, *pulchritudine*, \* ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. \* Ac ne non hinc quoque quantum posset prædæ & manubiarum invaderet, pollicitus cadaverum & ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: collationibúsq; non receptis modò, verùm & efflagitatis, provincias, privatorúmque census propè exhaustit.

39. Accesserunt tantis ex principe malis, probrisque, quædam & fortuita: pestilentia unius autumnus, quâ triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt: clades Britannica, quâ duo præcipua oppida, magnâ civium sociorúmque cæde direpta sunt: ignominia ad Orientem legionibus in Armenia sub jugum missis, ægréque Syriâ retentâ. Mirum, & vel præcipuè notabile inter hæc fuit, nihil eum patientiùs quàm maledicta & convicia hominum tulisse: neque in ullos leniorem quàm qui se dictis aut carminibus laceffissent, exstitisse.

*Captivitatem.*

Sicut in nummis pictus est.

Multa

Multa græcè latinèque proscripta, aut vulgata sunt, sicut illa.

\* Νέρων, Ορέστης, Αλκμαίων, μητροκτόνοι.  
Νεόνυμφον Νέρων, ἰδίαν μητῆρ ἀπέκλειαν.

*Quis negat Aenea magna de stirpe Neronem?*

*Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.*

*Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,*

*Noster erit Paean, ille \* ἑκατηβελήτης.*

*Roma domus fiet: Vejós migrate Quirites,*

*Si non εἶ Vejós occupat ista domus.*

Sed neque auctores requisivit: & quosdam per indicem delatos ad senatum, affici graviore poenâ prohibuit. Transeuntem eum Isidorus cynicus in publico clarâ voce corripuerat, quòd *Nauplii mala benè cantitaret, sua bona malè disponderet.* Et Datus Atellanarum histrio in cantico quodam \* ὕμναινε πάτερ, ὕμναινε μητῆρ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinæque significans: & in novissima clausula, *Orcus vobis ducit pedes*, Senatum gestu notaret: histrionem & philosophum Nero nihil amplius quàm Urbe Italiâque submovit, vel contemptu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia.

40. Talem principem paullò minùs XIII. annos perpeffus terrarum orbis, tandem destituit: initium

Nero, Orestes, Alcmaeon, matricida. Novam nuptam Nero, propriam matrem interfecit.

Longè jaculans. Epithetum Apollinis apud Homerum. Sic enim in princ. Iliad. Μῆνιν Ἀπόλλωνος ἑκατηβελήτης ἀναΐσθ.

Benè vale pater, benè vale mater. Id frequenter occurrit in antiquis monumentorum inscriptionibus, quorum copiam elegantem huc usque ineditam datâ occasione vulgare ai. imus est.

facientibus Gallis duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam Pro-prætoꝛe obtinebat. Prædictum à mathematicis Neroni olim erat, fore ut quandoque destitueretur: unde vox ejus celeberrima, \* τὸ τέχνηον πῖσαι γαῖα τρέφει, quo majore veniâ meditaretur, citharœdicam artem principi sibi gratam, privato necessariam. Sponderunt tamen quidam destituto ei ordinationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinae fortunæ restitutionem. Cui spei pronior, Britannia \* Armeniâque amissa, ac rursus utraq; receptâ, defunctum se fatalibus malis existimabat. Ut verò consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi audivit, quasi eo demùm obiturus, ac nihil conjectans de ætate Galbæ, tantâ fiducia, non modò senectam, sed etiam perpetuam singularémque concepit felicitatem, ut amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere, *pisces eas sibi relaturos.* Neapoli de motu Galliarum

*Artem omnis terra nutrit.*

*Armeniâque amissâ ac rursus recuperatâ.*

De quo ita Nero gloriatus erat ut nummum argenteum cudi curaverit, in quo Victoria more solito palmam coronamque gerit addito suo cognomine. ARMENIACA Neronis nuncupatur, quemadmodum GERMANICA Domi-

tiani, DACICA Trajani PARTHICA M. Aurelii & Veri BRITANNICA Commodi & Caracallæ, PARTHICA, BRITANNICA & MAXIMA Severi & Caracallæ, PARTHICA Macrini, CARPICA Philippi, SARMATICA Maximiniani & Constantii junioris, GOTHICA Constantini & aliorum.



cognovit, die ipso quo matrem occiderat: adeoque lentè ac securè tulit, ut gaudentis etiam suspicionem præberet, tamquam occasione natâ spoliandarum jure belli opulentissimarum provinciarum. Statimq; in gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectavit. Coenæ quoque tempore interpellatus tumultuosioribus litteris hæcenus excanduit, ut malum iis qui descissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliteravit.

41. Edictis tandem Vindicis contumeliosis, & frequentibus permotus, Senatam epistolâ in ultionem sui Reique publicæ adhortatus est: excusato languore faucium propter quem non adesset. Nihil autem æquè doluit quàm ut *citharædum malum* se increpitem, ac pro Nerone *Ænobarbum* appellatum. Et nomen quidem gentile, quod sibi per contumeliam exprobraretur, resumpturum se professus est, deposito adoptivo. Cætera convitia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quàm quòd etiam inscitia tantopere laboratæ perfectæque à se artis objiceretur: singulos subinde rogans, *nossentne quemquam præstantiorem*. Sed urgentibus aliis super alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. Levitérque modò in itinere, frivolo auspicio mente recreatâ, cum annotasset insculptum monumento, militem Gallum ab equite Rom. oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exiluit gaudio, cælumque adoravit. Ac ne tunc quidem aut Senatu, aut Populo coràm appellato, quosdam è primoribus viris domum evocavit: transactâque raptim

consultatione, reliquam diei partem per \* organa hydraulica novi & ignoti generis circumduxit. Ostendensque singula, de ratione & difficultate cujusque differens, jamque se etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, si per Vindicem liceat.

42. Postquam deinde etiam Galbam & Hispanias descivisse cognovit, collapsus, animoque malè fracto, diu & sine voce & propè inter mortuos jacuit. Utque resipuit, veste descisâ, capite converberato, *actum de se* pronuntiavit. Consolantique nutriculæ, & aliis quoque jam principibus similia accidisse memoranti; *Se verò præter cæteros inaudita & incognita pati*, respondit, qui

*Organa hydraulica.* Illorum figuram habes in hoc gemino nummo. Organarii seu ὑδραύλιοι videntur illi duo viri machinam, aquæ pondere modulas efficiente regentes, cum quæ antiquioribus in usu fuerant aëre inflarentur: hinc πνευματικά seu ἐμψυστά organa hydraulica opposita. Ad hoc refertur quod *cap. 54.* scriptum est: *Sub exitu quidem vita palam voverat, si sibi incolumis status permansisset proditurum se parta victoria ludis etiam & choraulam & utriuscularium, ac novissimo die histrionem, salt-*

*turumque Virgilii Turnum.* Nero quippe, suâ confessione magnus erat artifex, consentit ita Dio Chrysostom. *Orat. 70.* *Ferunt illum fingendi pingendique gnarum fuisse, canendique ore tibias, subjicientem axillis utrem, ut effugeret id turpe quod Minerva detestata est.* *ἄσπιδος δὲ ὑπὸ γαστέρι ἔχων τλ.* Horum organorum hydraulicorum structuram docent Vitruvius *lib. 10. c. 12.* & Athenæus, *lib. 4.* quæ nobis in solius Neronis nummis superest, iisque eorum genere quos *Contourniastos* vulgè vocant.



Æ



Æ



*suum imperium virtus amitteret. Nec eò seciùs quidquam ex consuetudine luxus atque desidiæ omisit vel imminuit. Quin imò, cùm prosperi quiddam ex provinciis nuntiatum esset, super abundantissimam coenam jocularia in defectionis duces carmina, lascivèque modulata, quæ vulgò innotuerunt, etiam gesticulatus est: ac spectaculis theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, abuti eum occupationibus suis.*

43. Initio statim tumultus multa & immania, verùm non abhorrentia à sua natura, creditur destinasse. Successores, percussorèsq; submittere exercitus & provincias regentibus quasi conspiratis, idèmq; & unum sentientibus, quidquid ubique exsulum, quidquid in Urbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare: illos, ne desciscensibus aggregarentur: hos, ut conscios popularium suorum, atque fautores. Gallias exercitibus diripiendas permittere: Senatam universum veneno per convivia necare: Urbem incendere feris in populum immisissis, quò difficiliùs defenderetur. Sed absterritus, non tam poenitentiam quàm perficiendi desperatione, credensque expeditionem necessariam, Consules ante tempus privavit honore: atque in utriùsque locum solus iniit consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari nisi à Consule. Ac susceptis fascibus, cùm post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmavit, simul ac primùm provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercitum proditurum, nec quidquam aliud quàm fleturum. Revocatisque ad poenitentiam defectoribus, sequenti.

die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ jam nunc componi oporteret.

44. In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis, concubinâsque, quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, & securibus peltisque Amazonicis instruendi. Mox tribus urbanas ad sacramentum citavit, ac nullo idoneo respondente, certum dominis servorum numerum indixit: nec nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne dispensatoribus quidem, aut amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre jussit: & insuper inquilinos privatarum ædium atque insularum, pensionem annuam repræsentare fisco. Exegitque ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum postulatum, aurum ad obrussam: ut plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, à delatoribus potius revocanda præmia quæcumque cepissent.

45. Ex annonæ quoque charitate luctantium accrevit invidia. Nam & fortè accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse. Quare omnium in se odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin subiret. Statuæ ejus à vertice currus appositus est cum inscriptione græca, *Nunc demum agona esse; & Traheret tandem.* Alterius collo & ascopera deligatâ, simulque titulus, *Ego quid potui? sed tu culeum meruisti.* Adscriptum & columnis, *Etiam Gallos eum cantando excitasse.* Jam noctibus jurgia cum servis pleriq; simulantes, crebro Vindicem poscebant.

46. Terrebatur ad hæc evidentibus portentis somniorum & auspicioꝝ, & omnium, tum veteribus tum novis: numquam antea somniare solitus. Occisâ demùm matre, vidit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum: trahique se ab Octavia uxore in arctissimas tenebras. Et modò pennatarum formicarum multitudine oppleri: modò à simulacris gentium ad Pompeji theatrum dedicatarum circuiꝝ, arceriq; progressu. Asturconem, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. De Mausoleo spontè foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum cientis. Kalend. Januarii exornati Lares in ipso sacrificii apparatu conciderunt. Auspicianti Sporus anulum muneri obtulit: cujus gemmæ sculptura erat, *Proserpina raptus*. Votorum nuncupatione, magnâ jam ordinum frequentia, vix repertæ Capitolii claves. Cùm ex oratione ejus, quâ in Vindicem perorabat, recitaretur, in Senatu, *daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos*, conclamatum est ab universis: *Tu facies Auguste*. Observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publicè *Oedipodem exsulem*, atque in hoc decidisse versu,

\* Θανέν μ' ἀλώγε σύγγαμ' ὄ, μήτις, πατήρ.

47. Nuntiatâ interim etiam cæterorum exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas concerpfit, mensam subvertit: duos scyphos gratissimi usus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo

*Mori me adigit, uxor, mater, pater.*

illisit: ac sumpto à Locusta veneno, & in auream pyxidem condito, transit in hortos Servilianos. Ubi præmissis libertorum fidissimis Ostiam, ad classem præparandam, Tribunos Centurionesque prætorii de fugæ societate tentavit. Sed partim tergiversantibus, partim apertè detrectantibus, uno verò etiam proclamante,

*Usque adeòne mori miserum est?*

Varia agitavit: Parthósne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, próque Rostris quantà maxime posset miseratione veniam præteritorum precaretur: ac ni flexisset animòs, vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret. Inventus est postea in scrinio ejus hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne priùs quàm in forum perveniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilatà, ad mediam ferè noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosiluit è lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil à quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verùm clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: unde jam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amotà & pyxide veneni. Ac statim Spicillum mirmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cujus manu periret, requisivit. Et nemine reperto: *Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum?* procurratque quasi præcipitaturus se in Tiberim.

48. Sed revocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit: & offerente

Phaonte

Phaonte libertò suburbanum suum inter Salariam & Nomentanam viam circa quartum milliarium: ut erat nudo pede atque tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit: adopertoque capite, & ante faciem obtento sudario, equum inscendit, quatuor solùm comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terræ, & fulgure adverso pavefactus; audiit ex proximis castris clamorem militum, & sibi adversa & Galbæ prospera ominantium: etiam ex obviis viatoribus quendam dicentem, *Hi Neronem persequuntur: alium sciscitantem, Ecquid in Urbe novi de Nerone?* Equo autem odore abjecti in via cadaveris consternato, detectâ facie agnitus est à quodam Missicio prætoriano, & salutatus. Ut ad diverticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægre, nec nisi strata sub pedibus veste, ad adversum villæ parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ harenæ concederet, negavit *se vivum sub terram iturum*: ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjecta lacuna potaturus manu hausit: & *Hac est, inquit, Neronis decocta.* Deinde divulsâ sentibus pænulâ trajectos furculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum modicellâ culcitâ, vetere pallio strato instructum. Faméque interim & siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.

49. Tunc unoquóque hinc inde instante, ut quàm primum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem

coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum: componique simul, si qua invenirentur, frustra marmoris, & aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaveri, flens ad singula, atque identidem dictitans: *Qualis artifex pereo!* inter moras perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit, legitq; *se hostem à Senatu judicatum, & quæri, ut puniatur more majorum.* Interrogavitque quale id genus esset pœnæ. Et cùm comperisset nudi hominis cervicem inferi furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentatâque utriusq; acie, rursus condidit, caussatus *nondum adesse fatalem horam.* Ac modò Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet: modò orabat, ut se aliquis ad mortem capeffendam exemplo juvaret, interdum segnitiam suam his verbis increpabat: *Vivo deformiter ac turpiter:* \* *ἔ πέπει Νέρωνι, ἔ πέπει νήθειν δεῖ ἐν τοῖς τοῖς, ἃ γὰρ ἔγχεσθε σεαυτῶν.* Jamq; equites appropinquabant, quibus præceptum erat ut vivum eum attraherent. Quod ut sensit, trepidanter effatus, \* *ἵππων μὲ ἀκυπόδων ἀμφὶ κτύπησάντε βάρδιαι,* ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito, à libellis. Semianimisq; adhuc interrumpenti centurioni, & pænulâ ad vulnus appositâ, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quàm, *Serò; &, Hac est fides.* Atque in eâ voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinèmq; visentium. Nihil priùs ac magis à comitibus exegerat, quàm ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed ut, quoquo modo,

*Non decet Neronem, non decet. Vigilare: Equorum celeripedum sonitus aures oportet in talibus age excita teipsum. circumtulit.*

totus cremaretur. Permisit hoc Icelus Galbæ libertus, non multò ante vinculis, exsolutus, in quæ primo tumultu conjectus fuerat.

50. Funeratus est impensâ ducentorum millium, stragulis albis auro intextis, quibus usus Kalend. Januarii fuerat. Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur è campo Martio impositum colle hortorum. In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstanti Lunensi arâ circumseptum est lapide Thasio.

51. Staturâ fuit pene justâ: corpore maculoso & foedo: sufflavo capillo: vultu pulcro magis quàm venusto: oculis cæsiis & hebetioribus: cervice obesâ, ventre projecto, gracillimis cruribus, valetudine prosperâ. Nam qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omninò per XIII. annos languit: atque ita, ut neque vino, neque consuetudine reliquâ abstineret. Circa cultum habitumq; adeò pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaicâ etiam pone verticem summiserit: ac plerùmque synthesium indutus, ligato circum collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu, & discalceatus.

52. Liberales disciplinas omnes ferè puer attigit. Sed \* à philosophia eum mater avertit: monens,

*A Philosophia eum mater avertit. Pœnas ipsa dedit suæ aversionis, neque enim à philosopho mansueto interempta fuisset; rectè enim Horatius: Didicisse fideliter artes, emollit mores, nec finit esse feros. Insanit ergo mater, quantò veriùs & sapientiùs Plato adferebat, tùm demùm beatas fore Respublicas, cùm aut Philosophi imperitarent, aut Reges philosophati fuerint.*

*imperaturo contrariam esse* : à cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quò diutius in admiratione sui detineret. Itaque ad poëticam pronus carmina libenter ac sine labore composuit : nec, ut quidam putant, aliena pro suis edidit. Venère in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, ut facilè appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos : sed planè quasi à cogitante atque generante exaratos : ita multa & deleta & inducta & superscripta inerant.

53. Habuit & pingendi fingendique maximè non mediocre studium. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium emulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Exiit opinio post scenicas coronas proximo lustro descensurum eum ad Olympia inter athletas. Nam luctabatur assiduè : nec aliter certamina gymnica Græcia tota spectaverat, quam brabeutarum more in stadio humi assidens : ac si qua paria longiùs recessissent, in medium manibus suis protrahens. Destinaverat etiam qui Apollinem cantu, Solem aurigando æquiparare existimaretur, imitari & Herculis facta. Præparatùmque leonem ajunt, quem vel clavâ vel brachiorum nexibus in Amphitheatri harena spectante populo nudus elideret.

54. Sub exitu quidem vitæ palàm voverat, si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam & choraulam, & utricularium, ac novissimo die histrionem, saltaturùmque

Virgilio Turnum. Et sunt qui tradant Paridem histrionem occisum ab eo, quasi gravem adversarium.

55. Erat illi aeternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta. Ideoque multis rebus ac loci vetere appellatione detractâ, novam induxit ex suo nomine. Mensẽ quoq; April. *Neroneum* appellavit. Destinaverat & Romam *Neropolim* nuncupare.

56. Religionum usquequaque contemptor; præter unius Deæ Syriæ. Hanc mox ita sprevit, ut urinâ contaminaret: aliâ superstitione captus in qua sola pertinacissimè hæsit. Siquidem \* Icunculam puellarem, cum quasi remedium insidiarum à plebejo quodam &

*Icunculam puellarem.* Multa ad hanc rem differuit summus Casaubonus, quibus & nummum ipsius Neronis subungere operæ pretium duxi, puellari icunculâ signatum. *Bullas* Romani infantium collis appendebant *adversus invidiam valentissimas*, inquit Macrobius, Saturn. lib. 1. cap. 6. *Laminas sicut remedia venenatorum colubrorum morsibus commemorat* Arnobius, lib. 2. Cur non etiam & nummos, cum hæc omnia inter remedia magica, quæ *quorundam* nominat Alex. Trallianus, amuletorum nomine comprehendantur. Quin & medicis ultrò objiciuntur Imp. Constantino-

politano- rum imagines in nummis expressæ, quas adversus Epilepsiam valere non ipsi modò Christiani prædicant, verum & *nanos* Turcæ, quas Sanctas Helenas ob Constantini M. matris pietatem, nominant. Emunctæ naris homines quid hæc juvant? soli rerum dispensatrici Naturæ, non vanis & inanibus imaginibus, Dei O. M. beneficium tribuentes. Nummum egregium Neronis hîc habes ab utraq; parte sculpti: inscriptionem mutilam lubens ex integriore in deliciarum nostrarum ornamentum, restituerem, illum fortè tempus suppeditabit.



ignoto muneri accepisset, detectâ confestim conjuratione pro summo numine trinisque in die sacrificiis colere perseveravit: volebátque credi monitione ejus futura prænoscere. Ante paucos quàm periret menses, attendit & exstipicio, nec unquam litavit.

57. Obiit secundo & trigésimo ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat. Tantúmque gaudium publicè præbuit, ut plebs pileata totâ Urbe discurreret. Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent: ac modò imagines prætextatas in Rostris proferrent, modò edicta, quasi viventis, & brevi magno inimicorum malo reversuri. Quin etiam \* Vologesus Parthorum rex, missis ad Senatum legatis, de instauranda societate, hoc etiam magnoperè oravit, ut Neronis memoria coleretur. Deniq; cùm post XX. annos adolescente me exstitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse jactaret, tam favorable nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, & vix redditus sit.

*Vologesus Parthorum rex.* Vide ejus explicationem in Thesauro nostro, nummum in superioribus ejusque pag. 209.